

mis mensibus Junio, Julio & Augusto singulis diebus ante meridiem; dum interim toto hoc anni tempore in montanis vicinis serena sit tempestas. Ita saepe laudatus *Vossius* p. 29. sub fin. in illis litoribus ait, quæ mare habent ab occidente, imò in plagis mediterraneis, nullos omnino cadere imbres, vixque tenui rore adspergi ejusmodi terras nisi fortè ventus aliquis à mari adflet, quod rarissimè, & alicubi ( ut in Peruvia & quibusdam Africa litoribus ) nunquam contingat. In mediterraneis & planis, dicit, regionibus; non negans in vicinis montosis contrarium accidere, ut vertices nivibus, latera verò stato tempore perpetuis prope modum flagellentur imbribus: id quod de Peruvia nominatim etiam adnotavit *Varenius* p. cit. 509. & seqq. quòd in æstate à torrentibus, qui à montanis locis devolvuntur, irrigetur, quæ loca montana eodem tempore hyemem & imbriferam stationem habeant, in tanta quidem vicinia, ut mane descendens aliquis ex illis pluviis & imbribus sævientibus, vesperi in planam venire possit, ubi nunquam pluvia sed aër ferenus sit.

*PHÆN. X.* Quo ipso nunc ad ventorum quoq; , inter aëris tempestates & mutationes utique separatim recensendorum, rationes enarrandas, qualiter illi in diversis terræ Zonis habere soleant, commodè delabimur, observationi huic speciali, quòd in Peruvia, ad oram Maris pacifici à septentrione in austrum longo tractu protensam, ventus ex illo mari patentissimo ab occidente nunquam adspiret, alteram illam itidem specialem statim subjicientes, quod ( iterum teste *Varenio* p. 510. ) *Ventus austro-Zephyrus proprius ipsi sit & perpetuus*; id quod antea p. 400. distinctius adhuc exposuerat his prolixioribus: *In litoribus Peru regni ex parte Chili, atq; adjacente vicino mari, ventus perpetuus fere est auster & collateralis ejus ad Zephyrum. Incipit ad 46. grad. latitudinis atq; perflat ultra Panamam isthmi Americani, atq; efficit, ut paucis diebus naves à Lima ad Panamam argento atq; auro onustæ perveniant: Sed à Panama ad Limam multorum dierum navigatione opus sit. In mari autem à litoribus Peru remoto non spirat hic ventus.* Mira profectò res, & cujus simile nusquam aliàs in omnibus aliis Indiæ regionibus, imò ne in toto reliquo orbe reperiri existimat *Dapperus*, Americae suæ p. 333. unicum sc. hic anno toto ventum flare ab Austro & Noto-Zephyro, qui æstum aliàs intolerabilem futurum mirè temperet, planè contra indolem ventorum in Europa ipsi cognominum.

*PHÆN. XI.*